

Theses de fractâ femoris ossis cervice.

Contributors

Bousquet, Jean Bernard.
Piet, Guillaume Louis, -1807.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Parisiis : Typis Michaelis Lambert, [1782]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/wdksadqp>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



D. O. M.

T H E S E S
DE FRACTÂ
FEMORIS OSSIS CERVICIS.

QUAS Antiquis referendas habeat grates Chirurgia, notum s
nubilam sparserunt primo lumine scientiam; horum studii;
& labore distinctæ sunt morborum series, evoluta discrimi-
na, unicuique tributa signa, in Therapeia deniquè stratum iter.
At quot emendanda, quot invenienda reliquerunt posteris,

A

& quantum in praxi erraverunt ! Quod in genere fatendum , ad fractam femoris cervicem præcipuè attinet. Hâc de fracturæ specie penitus siluerunt, inde illis omninò ignotam fuisse credendum. Non dubium tamen , saltem verisimile , pluriès illis in praxi occurrisse hunc morbum , sed dùm nulla apparebat ossis dimotio , proindèque artûs non vitiabatur figura , illis ne quidem subolebat fractura. Si verò quid præter naturam in osse percipiebant , quod si dimotum sentiebant , os fractum in luxatum accepisse conjicere est , nec mirum.

Inter neotericos nonnulli , & magni nominis auctores , de illâ morbi specie disertim egerunt : explanare tentârunt diagnosim , sed incertam reliquere. Curationi quoque studium navare non omiserunt ; ast tantæ molis est , & indole suâ tam difficilis curatu hic morbus , ut magna inter & expertissimos orta fuerit controversia ; quot capita tot sensus erant. Quemcumque apparatus respuerunt hi , & præter quietem & decubitum nil commendarunt , isti perennem laqueorum usum laudavere ; alii fascias & apparatus suadebant , machinas alii ; tali modo deligationes institui voluerunt illi , tali alio isti ; quin & expletam obtineri posse curam negavere plures , & imperfectam tenere satis sit , aiebant ; contrà verò propriâ freti experientiâ alii , totam & perfectam curam obtinendam fore conclamaverunt ; partes fractas aptè conferruminatas vidisse se asserebant , imò nullâ ferè cum claudicatione.

Ampla ergo hætenùs supererat futuræ experientiæ materia. Rem tanti momenti dilucidare non neglexerunt novissimi ; si ardua primo intuitu visa est diagnosi , & huic ita impenderunt operam , ut horum curâ & beneficio plerumque pateat , raròque expertum fugiat. Quantum quoque illorum indagini debet fracturæ femoris colli curatio : medendi ritum hos edocuit usus & observatio. Horum eximiis utamur inventis , &

ultrà progredi si non licet, saltem aptiorem seligamus methodum, & indigitemus. Sed antehàc partis figuram fabricamque obiter exponamus.

Omnibus compagis humanæ ossibus, magnitudine præstat os Femoris. Suprà coccyndici, infrà tibiæ ossi alligatur. Quoad supernam articulationem, quæ ad rem nostram speciatim pertinet, notanda veniunt: 1^o. caput ossis, 2^o. cervix, 3^o. duo processus, trochanteres dicti, quorum major, externus & superior γλῆτὸν Græcis audit.

Ampla, cartilagine obducta, circa verticem levi foveolâ sculpta, ossea sphaera, Femoris est caput. In ossis coxæ acetabulo, cotyle dicto, recipitur. In adulto pars ossis est continua, in junioribus contigua Epiphysis.

Femoris corpori jungitur caput ope appendicis osseæ, cervix, seu collum dictæ; quæ appendix à basi latiore procedens, dein usque ad medium paululum gracilescens, amplior iterum facta, ad caput obliquè & ferè transversim tendit; inde illam inter & ossis corpus, minor majorve exurgit angulus.

Tuber crassius à cervicis basi extûs procedens, in obtusam desinens aciem, major est trochanter; nascitur quoque minor à basi cervicis, sed inferiùs, & posticè.

Caput in articulo receptum retinet ligamentum, in dictâ foveolâ adnatum, ad cavum acetabuli affixum, quod ligamentum rotundum vocant; firmatur hæc articulatio ope alteriùs ligamenti, orbiculare dicti, quòd totum acetabuli marginem complectitur, dein caput omninò circumdat, & ad colli basim pergens, huic firmiter adhæret, sicuti & collo, ad mediam circiter usque partem.

Supernam femoris partem conterminant musculi complures, & plerique crassissimi. Flexores seu elevatores proprii tres, nempe psoas, iliacus, & pectinæus; extensores tres quoque, qui dicuntur glutæi, major, medius, & minimus; abductores quinque, scilicet fascia lata seu membranosus, quadratus, pyriformis, denique gemini superior & inferior; adductor solus triceps; sunt demum rotatores, qui & obturatores dicuntur, duo nempe, internus & externus. Qui omnes musculi, insalutato collo, ad corpus Femoris vel trochanteres attingunt. Horum origo & finis, ab omnibus describuntur Anatomicis; de his itaque fusiùs dicere, laterem esset crudum lavare.

Non rarò frangitur appendix illa, caput ossis inter & corpus media, quæ cervix dicitur. Eò fragilior est, quod tota ferè spongiosa sit, & perlevi obtegatur compactâ crustulâ; ægrè rumpitur per juventutem, sed facilè in annosis, & ratio patet. Sicuti peculiaris est hæc fractura, sic & peculiaris causa, & vulgatiores graves in trochanteres corporis lapsus; non ideo tamen est unica; varios enim percussus, huic fracturæ ansam dedisse, constat exemplis. Sic apud Cel. M. Petit (1), cuidam ex alto se pedibus obliquè excipienti, ruptum est femoris collum, sic & aliàs in genua procidenti. At verò ut ut sit, si non sola causa, saltem frequentior jam allata.

In simplicem, compositam, & complicatam olim hanc fracturam distinxerat antè diem ereptus Cel. M. de Bordenave; at simplex ut plurimum, inquit, & reverà ferè nunquam secùs. Sive enim frangatur collum propè caput, sive in medio, sive ad trochanteres; sive transversa, sive obli-

(1) Maladie des os. Tome II.

qua sit fractura, unica ferè semper est divisio; attamen in frustra abire posse cervicem non negandum, quin & extant exempla, sed perpauca; insuper unà frangi possunt unus vel ambo trochanteres, quod semel se vidisse testatur Cel. M. de la Faye (1), & tum dici potest composita.

Quoad complicationem ne paveas: etenim dum frangitur collum, illi soli impertitur totus percussioneis motus, nullusque ferè in circumjacentes partes dividitur; ideòque eò minùs dilacerationi patent hæ partes; quod & rationi & experientiæ consentaneum.

Vel illicò secedit pars inferior ossis fracti, sursùm trahitur, & inde decurtatur crus; vel, quod frequentius, contigua remanent fragmenta, & nulla fit secessio: sed exindè, id est, duabus vel tribus elapsis diebus, quin & non rarò quindecim, imò viginti & plus, aut levi & inconsulto motu, aut propriâ & spontali actione musculorum, attrahitur illa pars ossis infima, dimovetur, & ponè os ileum divertitur. Qualiscumque sit eventus, immotum remanet membrum, vehementer tumet, suggillatur cutis, acuti & propè inguen, & in omni superno femoris ambitu pungunt dolores, accenditur febris &c., quæ omnia plùs minùsve exardescunt pro variis adjunctis.

Fatendum tamen solâ percussioneis violentiâ obrepere posse varia hæc symptomata, aut gravis carniùm suggillationis, vel cujuslibet in articulo perturbationis sequela esse; proindèque si contiguæ remanserint partes, nulla, ex horum symptomatum syndrome, desumitur fracturæ colli certa dignotio;

(1) In Diss. posth. nondùm editâ,

attamen suspensionem movent, rei que attendit Chirurgus. Aliquot deinde elapsis diebus, si ad motus facultatem non rediit artus, si dolorem cieat vel levissima motio, & aliunde citò remiserint alia symptomata (1), augetur suspicio. Validior verò fiet, si ad ætatem provec tam jacentis spectes, si consulas anamnesim, & de modo & specie lapsus inquirenti tibi referatur, in trochanterem graviter lapsum post casum incedere, imò se humo tollere frustra tentasse; quin & his ritè perpensis, vix ullum supererit dubium. Insuper si fortè coeat signum sensile, id est, si utrâque manu apprehenso crure, & variis motibus hinc, inde, rotatimque versato, percipiatur crepitus quidam, certior de fracturâ Femoris colli evades. Ast cautè hos motus adhibeas, nec iteres, acutis enim doloribus stipatur hæc exercitatio, & aliunde si sit repetita, graviora orientur symptomata, vel orta recrudescant, ut optimè notat Cel. M. Sabatier. (2)

Dimotum os, & brevius fractum crus, lucidiora perhihere videntur indicia, sed & sunt æquivoca: nam tùm fracturæ tùm luxationis commune fatum; si tamen ponè os ileum proflare sentitur major trochanter, digitis scrutare, partemque contrecta; ultrà trochanteres, si nihil osseum tibi appareat, & hîc desinire os judicetur; si caput non promineat, & planè deficere videatur; aliunde non inane sentiatur acetabulum, osse è contrâ refertum, certè fractam esse cervicem abundè liquet; quam tamen encheiresin tibi semper utilem fore ne confidas; quandòque obtinere poterit, sæpe autem irrita.

Grave argumentum pedis apicis situ exhiberi creditur; at quoad hunc situm, quantum diffideant auctores mirum:

(1) Cel. M. de la Faye, *loco citato*.

(2) Acta Acad. Reg. Chir. Tom. IV.

aliis alii penitus adversantur. Juxta Illust. Paré & Cel. M. Petit, dum fracta est femoris cervix, intrà adducitur pedis apex, talemque positum observasse se uterque asserit. Semper è contrà extùs abduci pedis apicem dixit olim, mihi alumno æternùm lugendus, Cel. M. Foubert, & contendunt Cel. MM. Louis, Sabatier, & alii complures expertissimi, quod in controversiam vocari posse negant; hunc quidem positum characteristicon esse fracturæ colli typum, dictum est tanquam ex tripode.

At quo fato tam graviter erraverint laudati viri Chirurgiæ immortale decus? Pulveris exigui jactû, hanc litem componere visus est D. Chaussier, (1) dum notat si obliquè in partem sanam cubet femoris cervice fractus, pondere suo introspicere pedis apicem, extrà trahi verò, rectâ supinitate. Quod nodum solvere ne credas: reluctatur enim, & non silenda summi viri auctoritas: refert Cel. M. de la Faye (2) intùs vergentem pedem se semel vidisse, & extrà vel intrà verti pro variâ fracturæ indole & sede opinatur; quod certè auctoris gratiâ notatu dignum, & eo verisimilius, quòd huic assentiantur nonnulli inter Chirurgos spectatissimi (3). Hinc colligere liceat, frequentius extrà verti pedem, aliquotiès tamen intrà.

Diagnosi opitulatus Cel. M. Louis (4) non infirmum ex docto longoque usu excerpfit indicium: notat dum fracta est femoris cervix, cruris fracti ab alio divaricationem agrè, magnoque & pungente cum dolore ferri, contrà verò sine molestiâ, imò nonnullo cum solatio ad sanum admoveri

(1) In Dissert. ejus Reg. Chir. Acad. copiam fecit.

(2) Loc. cit.

(3) MM. Brasdor, Veyret, & alii.

(4) Act. Acad. Reg. Chir. T. IV.

Quanti sit momenti hæc adnotatio, abhinc patefecit experientia, & inter plura, aliud est eximii viri, erga Chirur-
giam meritum.

Coronidis loco adjiciendum fracturam femoris colli à luxatione externâ discerni posse, ex eo quod dum proprio acetabulo extruditur ossis caput, valdè resistit cuilibet moventi crus, doloresque acutissimos provocat quodlibet tentamen; in fracturâ verò cervicis, facilè & ad libitum movetur artus, indeque longè minores nascuntur dolores. Aliundè varia sunt luxationi propria symptomata quæ fracturæ cervicis non conveniunt.

Dignotâ Femoris colli fracturâ, quænam est prognosis? Hanc definire, & quidquid asserere pavebit prudens cautusque Chirurgus; tam vario ritu ludit natura. Coalescent-ne partes fractæ, nec-ne? Si ad situm hujus appendicis ossæ, & fabricam attendas, in dubio versaberis. Ratione sitûs: in omni longorum & cathetorum ossium fracturâ, spleniæ, fasciæ, omnis denique apparatus, ad figuram partis se accommodant, fractum os immediatè circumdant, & ita coercent ut stabiliter coeant fragmenta. Non item in fracturâ femoris colli: horisontalis ferè est pars illa, illamque circumcingere non datur; neque adhibenda veniunt media, quæ obtinent in aliis ossibus transversim sitis, ut costæ & clavicula. Femoris corpus comprehendunt fasciæ, &c. sed pusillùm, ne dicam nullatenus, in cervicem agunt. Proindèque si institutæ deligationis pressioni non omninò se subducit illa appendix, saltem partes fractas continere impar est apparatus, & potissimùm infimam, validis jugiter musculis fursùm accitam; ideòque in statum revocatas partes, difficillimè stabiliri intelliges. Hinc toties observatum nihil successisse varios partes coercendi ritus, & unâ quâque die paulòpost solertiori
arte

arte appositam deligationem, Chirurgi curam elusisse, & subrepsisse partem infimam.

Si ægerrimè cohibentur partes fractæ, & apprimè retentis, cheu! quid frugis esset? Obtinenda superest conferruminatio, quod sæpissimè, ne dicam semper, incassum, si quidem obstat propria ossis fabrica. Etenim si fracta vulgò coalescunt ossa, tam faustus quidem debetur eventus succis ad coalitionem idoneis, quos advehunt vasa sanguifera; vasa hæc carnes ambientes irrorant, & ex his infiniti numero rami os subeunt, intimamque ejus substantiam perreptant; sunt illæ carnes musculi, textus cellularis, & periosteum; quæ cuncta microcosmi ossa, paucis exceptis, abundè circumvestiunt, vel saltem quoad musculos, proximè attingunt. Quod prorsus desideratur in femoris cervice: nullus est conterminus musculus, nulla cellularis tela, tenue, laxum, & vasis carens periosteum, ligamentosa denique capsula exanguis. Undè, his positis, devenient succi recreatores? Per pauca illos suppeditare valent vasa; rari erunt ergo, & tali Provinciæ impares. Præterea in articulatione comprehenditur femoris cervix, & synoviâ ditior hæc articulatio; continuo fluxu proluens hæc synovia non potest non huic adventitio succo admisceri, non illum adulterare. Quid inde? Coalitioni erit incongrua hæc mixtura, debilitabitur succus resector, & eò evadet languens, & conferruminationi minùs aptus (1), quod experiëntiâ constat; hinc enim illæ mucosæ concretiones, in cadaveribus multò post colli fracturam defunctorum repertæ, utriusque succi mixturâ profectò oriundæ.

Ex dictis patet, insuper probat iterata observatio, ægerrimè conferruminari fractam femoris cervicem; quin & ni perpaucis

(1) Ccl. M. de la Faye, loc. cit.

admodum exemplis coalitam fuisse constaret, tam amico unquam uti posse fato, prorsus negare liceret, inter mille unum. Quid ergo præsagiendum? Paucis dicam, conferruminanda fore fracti ossis fragmenta, cui sperare licebit? Rara non sunt artis. Æger convalescet, sed claudicabit, usque claudicaturus; & hæc est mera & sincera prognosis, & propitior; etenim neminem latet à fracturâ femoris colli pejora oriri posse consecutaria. Non-ne scilicet exesa fuit tota illa appendix & funditis deleta? Aliàs orta est substantiæ cujusdam ligamentosæ species, inter caput ossis & corpus cervicem mentiens. Quot denique varia phænomena in vetularum cadaveribus, antea femoris colli fractarum, sunt olim visa à Chirurgo quodam Batavo, cujus meminit usque laudandus Cel. M. Louis (1). His addas quod memorat in praxi Chirurgicâ insignis Cel. M. Sabatier (2), in femoris cervice fractorum, octo vel decem post menses febre lentâ, & tabe interemptorum cadaveribus, sanguine aut purulentâ sanie sordidum reperit articulum.

Jam quid de curâ sentiendum prostat: curationi præ se fert obices morbi genus, ideòque irrita sunt plerumque partes coercendi tentamina, nec succedunt machinæ qualescunque, & de coalitione ferè desperandum. Non ergo crimen artis est, quod corrigere nefas. His itaque positis, faciet ne periculum Chirurgus, vel asymbolus de jure suo discedet? Si tentare juvat, quamam erit ratio? Hæc perpendere fas sit. Non respuenda sanè artis auxilia; namque ni in statum naturalem reducerentur partes, deteriorem fore exitum patet. In statum revocandi partes usque colendi præceptoris mei congruam methodum, adhibendasque cautelas, exhibuit to-

(1) A& Acad. Reg. Chir. T. IV.

(2) Ibid.

tiès laudatus Cel. M. Sabatier (2) ; hujusque placitis nihil fanè addendum superest. Juxtà hunc ritum reducantur ergò partes fractæ. Notandum tamen , si acutissimi sentiantur dolores , intensa sit suggillatio , & vehementer tumeat artus , procrastinandum esse opus , & primò debellanda adjuncta , ut suadet Cel. M. de la Faye (1) ; quæ si verò desint symptomata , vel remiserint , citò te accingas. At quis deindè erit apparatus ? Hanc quam vocant *spicam* , deligationem laudârunt prioris ævi Chirurgi , queis innotuit fractura femoris colli , dudùmque obtinuit ; quam autem cùm imparem , imò & multis modis noxiam videret jam laudatus Cel. M. Foubert ablegavit , & nemine dissentiente , obsolevit hic modus ; varias præse fert noxas laqueorum perennis usus ; molesta est Cel. M. Bellocq machina ; impar est à Cel. M. de la Faye tam celebrata pyxis ; uno verbo nulla hùc usque scopum attingit methodus , & reverà nil obstat nec obstare potest , quin dimoveantur partes , & sursùm petat inferius fragmentum. Quo planè cognito reducantur partes , vittis leniter stabiliantur positæ antea ferulæ , vulgò *fanons* , pondus straguli sustineat machina circulata , demùm addatur pro more solea ; nec ultrà progrediendum , aliàs alia suscipienda venient.

Non omittendum fanè arcenda esse symptomata ; celebretur phlebotome , & pro ratione iteretur ; adhibendi fottum chalaistici , tùm pro re natâ resolventes , & congrua præcipiatur diætâ , &c. Dein ægro pervigilet Chirurgus , & si unâ quâque die discedunt partes , unâ quâque die indefessim renovanda diaplasis. Fausta tandem elucescet dies & promissâ ; diutino scilicet elapso tempore , id est , viginti cir-

(1) Loc. cit.

(2) Loc. cit.

cùm circà diebus, jam quiescent muscoli, remittet spasmus, & stabile erit membrum; tùm attritæ & exesæ asperitates fragmentorum, mutuò utriusque contactui indulgebunt, paulatim sibi accommodabunt hæc fragmenta, & si quoquo modo contineantur partes, id est tenui juvante apparatu de quo suprà, & faventibus diuturnâ cubatione & quiete, nova taliscumque exurget articulatio, non stabilis certè nec solida, sed sufficiet, ut hinc tribus, quatuorve, aut plus, effluxis mensibus, incedere suscipiat æger, initio baculis suffultus, dein baculos mittat, & temporis lapsu firmior fiat, stet & ambulet, sed ut dictum claudicans. Non tamen ineluctabile fatum; sedulâ enim Chirurgiæ curâ & arte res aliter se habere poterit; partes coercere forsan ab initio fas erit; quibus adversis sibi diù retentis, & aliundè beneficâ juvante naturâ, solidus temporis lapsu gignetur callus, & perfectâ fiet conferruminatio, quod aliquotiès successisse constat.

HAS THESES DEO DUCE, & Præside M. GUILLEMO-LUDOVICO PIET, Regiæ Chirurgorum Parisiensium Academiae Consiliario, antiquo Scholarum Præposito, ægrè parturientibus egenis, Regio diplomate, Adjutore constituto, tueri conabitur JOANNES - BERNARDUS BOUSQUET, Foro-Julienensis, Artium liberalium in almâ Universitate Parisiensis Magister, Doctör Medicus Rhemensis, necnon Augustissimi Principis, MONSIEUR, Regis Fratris, Chirurgus, Theseos auctor.

Die Martis 18 Junii, anno Salutis 1782, à sesqui-secundâ post meridiem ad septimam.

PRO ACTU PUBLICO
ET SOLEMNI COOPTATIONE.

Parisiis, typis MICHAELIS LAMBERT, Regii Chirurgiæ Collegii necnon Academiae Typographi, viâ Citharæâ,